

*Ad dubium:* An sufficiat ter tantum ante Tabulas consecrandas dicere: *Deus in adjutorium meum intende, pro omnibus Aris simul consecrandis?*

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Affirmative“. Atque ita statuit, et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 2.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

In hoc S. C. ad primum et secundum Dubium responso nihil occurrit, quod illustrandum aut magis sit declarandum: imo certa datur regula servanda in similibus, si in *Pontificali Libro*, praeter *Ordinationes*, pro quibus apte Rubrica distinguit, quae super omnibus, et quae super singulis Ordinandis dicenda sunt aut agenda, aliae occurrant Consecrationes atque Benedictiones, quarum ritus unam dumtaxat respiciunt personam aut res, si ad plures sint transferendi. Discrimine quippe est opus; alia enim praeparatoria sunt; alia Benedictioni aut Consecrationi essentialia: alia demum ad gratiarum actionem referuntur. Itaque preces, quae fiunt vel ad implorandum Dei praesidium, vel pro re bene gesta ei debitas grates reddendum nequeunt ex Ecclesiae instituto omitti, verum tamen haberi dumtaxat possunt, ut quaedam rerum vel personarum Benedictioni aut Consecrationi adjuncta; ideo et semel, et in plurali dicendae; nec toties reiterandae, juxta numerum rerum et personarum. Etenim preces et Psalmi, qui ante Consecrationem leguntur, qui infra eandem actionem praemittuntur unctionibus et signis ab Episcopo peragendis, aut, expleta jam Consecratione, recitantur; proprie non constituunt ritum super persona aut re consecranda exequendum; eo tamen diriguntur, ut Deus suam elargiatur gratiam, et ac-

ceptum gratumque habeat, cum quod agendum est, tum quod agitur, et actum est. Secus vero dicendum de unctionibus, adpersionibus, signis, formulis, precibus, quae ab ipso Episcopo fiunt et pronunciantur, conjungendo simul preces et formulas cum actionibus. Ea namque essentialiter ritum important Benedictionis et Consecrationis. Ideo dum Episcopus pollice dexterae manus signat Crucem cum aqua benedicta, oleo Catechumenorum et Chrysmate tabulas ad praescriptum Pontificalis inungit, simultaneous formulas Benedictionesque pronuntians, necessario et actiones et preces sive benedictiones repetere debet super qualibet tabula consecranda, quia actiones et preces in his simul conjunguntur, et essentialiter ad ritum Consecrationis referuntur, imo ipsam Consecrationem perficiunt. S. autem C. hujusmodi adhibita distinctione nedum propositis dubiis respondit; verum etiam certam dedit regulam in similibus, si quae forte occurrant, omnino tenendam.

*Ad dubium:* In verbis *Sanctificetur et Consecretur* sunt *quinque Crucis* signa in Pontificali; et Rubrica dicit quod Pontifex facit Crucem cum pollice; sufficitne facere unam tantum Crucem pollice, et unam tantum benedicendo manu, quoties haec verba proferenda sunt in qualibet Ara?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Negative, sed signa Crucis cum pollice et manu benedicendo toties faciendae sunt, quoties cum signo Crucis adnotatur forma sanctificationis et consecrationis, quam proferre debet Episcopus juxta praescriptum Rubricae, prius in medio Tabulae, deinde in quatuor cornibus illiusmet Tabulae, et idem successive facere et repetere super singulis lapideis Tabulis consecrandis“.

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 3.

NOTA GARDELL AD HOC DECRETUM.

Hujus Dubii solutio plane consequitur ex regula generali, quam S. C. constituit in *responsione ad 1 et 2.* (pag. 387 et 388).

*Ad dubium:* Pontifex aspergit tribus vicibus in circuitu Tabulam seu Aram, et dicit Antiphonam et Psalmum: *Miserere*, et Orationem sequentem, et tribus vicibus incensat in circuitu Tabulam seu Aram, et dicit Psalmum: *Quam dilecta*. Sufficitne aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium Tabularum simul consecrandarum tamquam in unum junctarum, et semel dicere Orationem et Psalmos praedictos?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Affirmative ad utramque partem, videlicet sufficere aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium Tabularum, et semel dicere Antiphonas, Orationem et Psalmum: *Miserere*, non vero Psalmum *Quam dilecta* (ut perperam ponitur in dubio) qui non dicitur, dum tribus vicibus per gyrum thurificatio fit, sed dicitur semel, dum Oleo Catechumenorum liniuntur Tabulae. Excipienda tamen est postrema thurificatio ante Orationem: *Descendat, quaesumus, Domine etc.* iteranda supra singulas Aras“.

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 4

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Standum Libri Pontificalis praescripto, ad cujus normam thurificatio per gyrum in consecratione Altaris faciendae est. Haud enim oportet singulas circuire tabulas, dum plures simul sacrandae sunt; sed satis est de latere ad latus thurificare mensam, in

quae sitae reperiuntur; etenim hujusmodi thurificationes perinde habentur, ac actus praeparatorii ad unctiones cum oleo catechumenorum singulariter ab Episcopo peragendas supra quamque tabulam. Dum autem thurificatio per gyrum fit, bonus odor supra tabulas omnes, quae in mensa sunt, diffunditur. Id adeo verum est, ut, liniendo Episcopo oleo catechumenorum Aras, cum ipse simul thuribulum fumigantem agitare per gyrum nequeat et interea non sit a thurificatione cessandum; id ut fiat a Sacerdote Superpelliceo induto, Libri Pontificalis Rubrica praecipit. Excipienda tamen est postrema thurificatio, quae secus ac aliae, de quibus supra, reiteranda est super singulis Aris; non enim actio praeparatoria, sed essentialis est, et fieri debet ab Episcopo non circum, sed *supra tabulam in medium Crucis*, canente interim Choro Antiphonam: *Omnis terra etc.*

*Ad dubium:* Inter ea, quae pro Altaris Consecratione parari debent, ordinatur *media libra thuris*, cujus medietas sit in granis. Estne eadem sumenda pro singulis simul consecrandis, aut sufficit sumere pro omnibus simul quantitatem thuris pro arbitrio?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, dummodo quantitas thuris cum ad thurificandum, tum ad cremandum in Aris satis sit pro numero Tabularum“. Atque ita statuit et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 5.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dum Pontificale certam quantitatem thuris parandam esse jubet ad thurificandum et cremandum, non illam taxative designat, sed demonstrative, illam scilicet, quae pro numero Alta-

rium necessaria censetur. Quum autem ad plurimum mobilia Altaria plura sint, quae simul consecrantur, pro eorumdem majori, vel minori numero, majus minusve esse debet thuris pondus. Ideo in parvo Pontificali Romae evulgato anno 1759 (cujus exemplaria rarissima sunt) de ritu consecrandi plures Aras portatiles, non thuris quantitas specificatur, sed expresse dicitur quod *paratur sufficiens quantitas thuris, cujus medietas sit in granis.*

*Ad dubium:* Sufficitne celebrare Missam super unam tantum Aram antea consecratam, vel extunc consecratis?

Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Post peractam Consecrationem Altarium portatiliu Missam vel per Episcopum, vel per aliquem Sacerdotem celebrandam esse super unam dumtaxat ex Tabulis consecratis.

Atque ita statuit et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 6.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Jubet Rubrica praefati parvi Pontificalis, quod, extersis tabulis per ministros cum panno lineo, vel Episcopus paret se ad celebrandum, si voluerit, vel faciat per aliquem Sacerdotem super una ex tabulis consecratis celebrare Missam, quae erit ut in Missali in ipsa die consecrationis Altaris. Soluta igitur quaestio est, et omnis cessat ratio dubitandi.

Quum Rmus. Ambianen. Ep. in Galliis animadvertat Rubricas Pontificalis Rom. in consecratione Altarium Portatiliu loqui tantum de consecratione unius Altaris, S. R. C. humillime rogavit, ut quando plura consecranda veniant Altaria hujus generis

praefatae Rubricae ad praxim sequenti modo reduci valeant, nimirum quaerit:

1. In Rubrica de Altaris portatilis consecratione legitur quod consecratio fieri debeat jejuno stomacho, quaeritur utrum ratione habita plurium Altarium liceat Pontifice ea consecrare non jejuno?

2. Ex iisdem Rubricis haec verba: *Sanctificetur et consecratur haec tabula in nomine etc.*, quinquies proferri debent super singulam Tabulam: quaeritur: an liceat Pontifici, ne nimum protahatur consecratio, ea verba semel tantum proferre pro unaquaque Tabula dum supra eam format quinque Cruces cum aqua benedicta?

3. Utrum idem liceat quando Altaria inunguntur cum S. Chrismate et Oleo Catechumenorum?

4. Utrum praedictae Uctiones fieri possint cum stylo ligneo spongia quadam munito, ut mos est in Uctionibus Baptismi et Extremae Uctionis, non autem cum pollice nudo, ne licet unctionibus multiplici vice supra petram repetitis laceratur?

5. Ex Rubricis Episcopus Sepulchrum propriis manibus claudit: licetne postquam Reliquias in Sepulchro propria manu collocaverit Pontifex, alicui Sacerdoti assistenti committere curam Sepulchrum signandi cum cera, Episcopo praesente et jubente?

6. Item circa ea, quae immediate sequuntur, *manu dextera confricans, liniens et perungens*; quaeritur: utrum cura liniendi et confricandi Sacerdoti assistenti demendari possit, postquam Episcopus propria manu consperserit Oleo S. totam Altarium superficiem?

7. In Rubricis legitur quod Pontifex: *proprio manu ex ipso incenso quinque Cruces format*; quaeritur: an possit, postquam aliquot grana incensi super quinque Cruces propria manu sparserit, alicui assistenti commendare

curam ea in modum Crucis disponendi?

8. Addunt Rubricae, quod Episcopus *ponit unam Crucem de subtili candela factam super quamlibet Crucem thuris*; quaeritur: utrum possit unam tantum Crucem ponere, relinquendo aliis ministris curam caeteras disponendi?

9. Quid de casu, in quo Sepulchrum, ubi Reliquiae conduntur, confractum sit? Amittitne portatile suam consecrationem?

Et Emus., ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae, et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, et S. R. C. Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum, omnibus mature perpensis, rescribi mandavit: „Servandam omnino esse in omnibus formam a Rom. Pontificali praescriptam.“ n. 4914 die 22. Maji 1841.

6) Altaris portatilis execrati.

Vd.: *Reliquiae in altari; Altare port. (Execratio)*

Pastoralem Visitationem Ecclesiarum suae Dioecesis explens Rmus. Vicarien. Ep. animadvertit non pauca reperiri Altaria portatilia, quorum Sepulchra tractu temporis confracta fuere, ac insimul reperit similia portatilia Altaria in novissimis perturbationibus per simplices Sacerdotes consecrata fuisse, Reliquiis minime apposis. Queis incommodis qua praestat vigilantia ac religione occurrere exoptans S. R. C. humillimis precibus adiens, enixe rogavit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum:

1. An memorata Altaria, quorum Sepulchra confracta sunt, debeant denuo consecrari, vel an sufficiat in illis novas Sanctorum Reliquias inducere, Sigilloque muniri?

2. An Sacrosanctum Missae Sacri-

ficiu celebrari queat super Altaribus secundi generis a simplicibus Sacerdotibus consecratis absque appositione Reliquiarum, vel an et ista debeant iterum consecrari Sanctorum Reliquiis apposis?

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, quum a subscripto Secretario compererit usque ab anno 1837. IX. Kal. Oct. pro Dioecesi Rhodonensi sancitum fuisse ut similia Altaria iterum consecrentur, appositamque Instructionem Rhodonensi Ep. transmissam fuisse, propositis Dubiis a Rmo. Vicarien. Ep. rescribendum censuit: „In utroque casu Altaria esse denuo consecranda, ut in Redonen. die 28. Sept. 1837.; die 7. Dec. 1844 n. 4990.

7) Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio.*

8) Episcopi.

Anniversarium.

I. Commemoratio.

Vd.: *Consecr. Ep. (Anivers. Missa).*

*Ad dubium:* An occurrente die anniversaria Consecrationis Episcopi facienda est a Sacerdotibus omnibus per totam Dioecesim vel solum in Cathedrali commemoratio ejusdem Consecrationis in Missa? S. C. resp.: „Juxta praxim et Decretum in Portugallen. die 17. Septembris 1785 per universam Dioecesim in omnibus Missis, praeterquam in Solemni dicenda in Cathedrali et Collegiatis Ecclesiis, in quibus post Nonam dicenda est Missa cantata ejusdem Aniversarii.“

Die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 7.

II. Dies.

Vd.: *Episcopus (Consecratio).*

*Ad dubium:* An annivers. Consecrat. Episcopi Viennen. in Austria 2.

die Aprilis habitae, incidens anno 1703 in hebdomadam maj., anticipari possit, an alium sibi diem pro anniversario eligere possit? S. C. resp.: Negative, et servetur Caer. Episcop. n. 3664 ad 1 die 22. Sept. 1703. (Caer. Ep. Lib. II. c. 35).

*Ad dubium:* An si dies Anniversaria Consecrationis Episcopi incidat in Dominica primae class., vel infra totam hebdomadam majorem, vel die S. Paschae, Pentecostes, Nativitatis Dom., vel alio die solemniori, debeat, vel possit dici eo die Missa de dicta Consecratione, cantata altera Missa de die, vel in ipsa Missa de die possit, vel debeat fieri collecta pro dicta Episcopi Consecratione? Et in casu, quo neque debeat neque liceat tali die praedicta Missa vel sola collecta; an possit vel debeat transferri Missa pro Anniversario dictae Consecrationis, et in quem diem?

S. eadem R. C., ad relationem Emi., et Rmi. Dom. Cardinalis S. Clementis, respondendum censuit:

„Circa commemorationem serventur Caeremoniale Episcoporum et Rubricae. Et si dies Anniversaria Consecrationis fuerit impedita, eo anno Missa omittitur.“

Et ita declaravit. n. 3718 ad 2 die 4. Aprilis 1705.

*Ad dubium:* Si Episcopus non sit primum consecratus pro Ecclesia, cui praest, sed pro alia, a qua ad praesentem fuerit translatus, missa, quae habetur in missali, quandonam dicenda erit, in die Consecrationis, an Nominationis an Translationis? S. C. resp.: De Episcopo translato est missa in Ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione SS. Pontificis, festumque hujusmodi erit annuntiandum cum termino: *Translationis.* n. 4119 ad 11 die 2. Sept. 1741.

Rmus. Episc. Cenomanen. in Gallia S. R. C. quaedam humillime exposuit Dubia, eorum solutionem supplex efflagitans nimirum:

1. An ipsius consecrationis Anniversarium regulariter celebrari possit eo die, quo evenit, nimirum Feria VI. post Dominicam Passionis, in qua Festum VII Dolorum B. M. V. recolitur, vel potius die mensis, qua consecratio peracta fuit?

2. An Missa Pontificalis, quae solemniter celebrari solet in Cathedrali, debeat esse votiva pro Anniversario consecrationis Episcopi, aut propria de Compassione Deiparae cum Anniversarii consecrationis memoria per Orationem?

3. Si hoc Anniversarium necessario celebrari debeat die XXI. Martii, qua die evenit, quid agendum, quando haec dies incidit in unam ex Dom. Quadrag., vel in Dom. Passionis? Licetne solemnem celebrare Missam Pontificalem de Anniversario consecrationis cum memoria Dom. per Orationem et ultimum Evangelium?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitibus ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, referente Secretario, respondendum censuerunt:

Ad 1. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Ad 2. „Provisum in primo.“

Ad 3. „In casu addendam esse Orationem pro Episcopo.“

Atque ita servari mandarunt; n. 4898 die 12. Sept. 1840.

### III. Missa.

Vd.: *Consecr. Ep.* (Anivers. Commem).

In die (anniversario) Consecrationis Episcopi occurrente Officio dupl. Officium recitandum esse de dicto dupl.; in missis priv. post alias, si occurrant, faciendam commemor. consecrationis

cum Collecta: *Deus omnium fidel. etc.*; post Nonam celebrandam missam sol. pro electione vel consecratione Episcopi cum *Gloria, Credo et praef. communi.* n. 4421 ad 3 die 17. Sept. 1785.

Clerus saecularis et regularis non tenetur celebrare, quando recurrit, missas Consecrationis Episcopi anniversarias in tota Dioecesi. n. 3743 die 24. Apr. 1706.

*Ad dubium:* 1. An haec Rubrica sit intelligenda dumtaxat de Missa solemn, quae ex praescripto Caeremonialis Ep. illa die celebratur in Ecclesiis Cath., an vero in omnibus etiam Missis privatis, in quibus tunc additur commemoratio praedicti Anniversarii juxta morem tam in Archidioecesi Mechliniensi, quam in aliis Belgii Dioecesis receptum?

2. An Sacerdos, qui vellet Missam pro Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi legere ex devotione illa die, dum Rubricae non obstant, debeat in ea dicere *Gloria* et *Credo*? an vero utrumque vel alterutrum omittere? item an dicendae sint tres saltem Orationes, ut in Missis votivis?

S. R. C. . . . rescribendum censuit:

Ad 1. „De Missa solemn tantum intelligenda est.“

Ad 2. „Quum haec Missa votivis non sit accensenda, nequit ad libitum celebrari.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4911 die 12. Sept. 1840.

### 9) Episcopi Administr.

(*Anniversar.*)

Non fieri debet Anniversarium Consecrationis Episcopi Administratoris amovibilis Ecclesiae vacantis cum missa cantata per Capitulum. n. 3952 ad 5 die 22. Aug. 1722.

### 10) Oleorum sanctor.

Vd.: *Coena Domini* (Consecratio Oleor).

### 11) SSmi. Papae.

Vd.: *Electio et Consecratio SS. Pontif.*

### 12) Sacerdotum consecrandorum.

Vd.: *Missa* (interrupta per mort. Sacerdotis; *votum Al. Jom.*).

### 13) Virginum Monial.

Vd.: *Benedictio Monial.*

## CONSECRATOR.

(*In Coena Dom.*)

Vd.: *Coena Dom.*

## CONSUETUDO.

Vd.: *Ritus; Caeremoniale; Caeremoniae; Decreta; Abusus etc.; Extrema Unctio* (Unctio ped.; decr. n. 4780 *nota*); *Nativit Dom.* (Officii cant. decr. n. 4672 *nota*).

*Ad dubium:* An quaecunque inveterata consuetudo in contrarium derogare possit Legi a decretis S. C. praescriptae? S. C. resp.: Negative. n. 4861 ad 2 die 13. Aug. 1839.

*Ad dubium:* An veteres Ecclesiae consuetudines, quae scilicet nulli Ecclesiae statuto opponuntur, abrogatae sint per ea rescripti verba: *Semper et a quocunque servetur caeremoniale?* S. C. resp.: Recurrendum ad S. R. C. in casibus particularibus. n. 4620 ad 2 die 6. Maii 1826.

NOTA GARDELL. AD HOC DCRETUM:

Nihil est quoad hoc Quaesitum indigens declaratione. Sacra enim Rituum Congregatio, dum servandum jubet Caeremoniale Episcoporum, haud intendit adprobare vel reprobare peculiare Ecclesiarum consuetudines, sed